

furis, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, & per vos incurfis, & quibus vos etiam apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiam si absolutio Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesie præceptorum transgressionibus, homicidii casualis, manuum violentarum in quavis personas etiam ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, juniorum omissionibus (non tamen recitationis Horarum Canoniarum, aliorumque Divinorum Officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantum in vita, & mortis articulo; in reliquis vero dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio) prædicta auctoritate apostolica absolvere, & vobis pro commissis penitentiam injungere salutarem.

Ac vota commutandi.

Indultum transferendi pensiones etiam in mortis articulo usque ad summam 300. duc. auri de Camera.

§.11. Nec non vota quæcumque (visitationis liminum ultramarinarum, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, castitatisque, ac religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.
§.12. Vobisque ulterius, & cuicumque vestrum respective, ut ultra quascumque alias similes facultates a Nobis, vel Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris vobis concessas, quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitan, seu aliarum Ecclesiarum, aut persone in dignitate ecclesiastica constituta tam in dicta Curia, quam extra eam ad id per vos respective coram Notarios, & testibus fide dignis eligendi, seu eligenda quascumque pensiones annuas vobis super mensarum Abbatialium, seu Capitularium, ac Episcopatum, & Archiepiscopatum, ac quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventus, juribus, obventionibus, & distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda, pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera, quoad singulos vestrum, quomodocumque alicui vestrum respective placuerit, simul, vel successive, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassata, & extincta fuerint, alias si-

miles pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventus, juribus, obventionibus, & distributionibus, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem præfatam uni, vel pluribus aliis personis, etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, seu clericali caractere insigniri volentibus, etiam eis, quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus ad id ab eis speciale mandatum habentibus, iisdem modo, & forma, quibus vobis assignate, aut reservari, seu assignari concessa, seu concessi fuerint, etiam absque consensu eisdem pensiones solvere debentium, etiam illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo facien. facultatem non habueritis, ac pensiones, & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi eisdem pluries cassata, & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam literis apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis, in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis integre persolvendas reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis, de speciali gratia indulgemus.

Facultate restitui ad favorem etiam contra quicumque tam, vel aliorum etiam per privatam scripturam usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera.

§.13. Nec non etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint altaris, vel altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem Ecclesiarum divino cultui, seu usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad vos ratione Ecclesiarum etiam Cathedralium, etiam Metropolitan., quibus vos præesse forsitan contigerit, nec non Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiarum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventus vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romana Curie officiorum, & aliàs quomodolibet spectantibus, & pertinentibus,

bus, ac etiam de dictis proventus, fructibus, redditibus, & pensionibus annuis, nec non vestra, & cujuslibet vestrum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licite tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad vos per venturis, etiam si in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant tam in dicta Curia, quam extra eam ubique locorum, & pœnes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiam si talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & supellectilium non venirent; sed specialibus indigere, ut vocabulis presentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro sufficienter expressis, & declaratis haberi volumus, usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, proventus, & pensionibus debitis, & debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiam si illorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illa rata, quæ vobis debita erit, constitutione, & declaratione super fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forsitan ad successores in ipsis beneficiis spectare, & pertinere debeant, non obstantibus, etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, usque ad summam quadringentorum ducatorum similibum dumtaxat tam pro decem, & honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum aliàs pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrum absolutis testari, & testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos, quam causa mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scriptura etiam minus solemnibus, coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula sola manu vestra scripta, vel subscripta, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout, & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsa Curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione presentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similibum facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterum, aut pluries disponere, statueri, & ordinare; ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitari, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere libere, & licite valeatis, auctoritate apostolica.

Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

lica, & tenore præmissis plenam, & liberam concedimus facultatem.

§.14. Et insuper statuimus, ordinamus, vobisque indulgemus, quod si contigerit vos ab intestato, & sine ulla, vel minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum præfatorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra vestra beneficia, vel alia loca debita a vobis residentia personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedere, omnia, & singula bona, res, & jura, etiam ut præfertur qualificata, nec non spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex præfatis, & aliàs undecumque provenientia, ad Camera Apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæreses vestri sanguinis integre deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros, arbitrio persone, seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuatur, nisi de alia dispositione, vel intentione vestra scriptura etiam minus solemnibus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ persone, vel alii Judices, seu exequutores omnino exequi, & adimplere, illique sese conformare in omnibus, & per omnia debeant; Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsitan aliàs a vobis, etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffulta, de hujusmodi bonis, juribus, ac actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequentis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum quomodolibet fierent, ex nunc, prout ex tunc, & contra approbamus, & confirmamus, omnesque; & singulos juris, & facti, ac solemnitate omittamus, & omittendum, necnon substantiales, aliisque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiam si tales sint, vel fuerint, quod specialis, & specifica de illis mentio presentibus habenda esset, supplemus.

Supplementum omnium defectuum super his sequentibus vel sequentibus.

§.15. Districtius inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatibus, & Clericis, ac eorum, necnon Fabricæ Basilicæ Principis Apost. de Urbe, & Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, ceterisque quibuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, ne Universitates, Collegia, ac Loca, & Legatarios, hæreses, personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi exequutores præfatos directe, vel indirecte quovis quaesito colore, vel ingenio molestare audeant quoquo modo, vel perturbare.

Inhibito contra molestantes.

§.16. Ac decernimus prædicta omnia, & singula, presentibus, literas, & testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia

Clausula reservative.

alia quæcumque, necnon quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit, tam vigore præsentis, quam etiam aliarum concessio- num vobis factarum, ac deinceps in gene- re, & in specie faciendarum, cum inde sequutis, & sequuturis, etiam si vos intra Cu- riam, aut quacumque alia Mundi parte ex- tra Ecclesias, & beneficia, personalem resi- dentiam requirentia qualitercumque qua- lificata, per vos nunc, & pro tempore ob- tenta, etiam pro vestra sola voluntate, & nulla subsistente causa residendi, ab humanis decedere contigerit, sub literis felicis recor- dationis Pii Papæ III. Prædecessoris nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepi- scopos, & alios Prælatos, necnon Parochia- lium Ecclesiarum Rectores, ceterosque residentia personali prædicta adstrictos, ex- tra illam quomodocumque decedentes, se- ptimo Kalen. Decembris, Pontificatus sui Anno quinto, aut alio veriori tempore, emanatis, & sub quibuscumque aliis consti- tutionibus, aut révocationibus, suspensio- nibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apostolicis, Can- cellariæ Apostolicæ regulis, ex quibusvis causis quantumcunque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam a Nobis, & Sede præfa- ta hætenus, vel nunc, & pro tempore fa- ctis, & editis minime compræhendi, sed sem- per ab illis excepta, & quoties emanata fue- rint, toties in pristinum, & validissimum statum, & etiam sub data posteriori, etiam cum derogationibus, & regulis, etiam de- rogatoriis derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis per vos eligenda apponendis, & latissime specificandis, reposita, restituta, & plenarie reintegrata, ac de novo concessa, va- lidaque, & efficacia fore, necnon perpetua fir- mitate subsistere, suosque plenarios, & omnes effectus, qui de jure, stylo, consuetudine, aut aliis quomodocumque fortiri poterunt, aut vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, & efficacia contractus inter vos ex una, ac Nos, & Cameram prædictos ex al- tera partibus habere, nec etiam per promo- tionem ad Ecclesiam Cathedrali etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestre mutationem, nec per similes, vel dissimiles gratias vobis concessas, & concedendas confundi, sed ipsi cumulative in omnibus, & per omnia uti, & si quid in una ex facultatibus hujusmo- di defecerit, per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quæ bona, jura, & actiones deveniant, vel qui- bus relinquuntur, aut exequutores prædictos ad tertiam, seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus legatariis, ac donatariis præfatis liberaliter concedimus, & donamus; Camera, vel fabricæ, aut beneficiis præfatis, etiam pro expeditione contra infideles, & quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sive in- dultum, aut informationem præsentium

a Nobis, vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, sive ejus confirmatione vobis quomodocumque vobis concedenda de presenti mentionem ali- quam faciendam minime teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse.

§.17. Et sic in præmissis omnibus, & sin- gulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apostolici causa- rum Auditores, & ejusdem Sanctæ Roma- næ Ecclesiæ Cardinales, necnon pro tempo- re existen. ejusdem Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet qua- vis aliter judicandi, & interpretandi faculta- te, & auctoritate, judicari, & desinari de- bere, necnon irritum, & inane, si fecus su- per his a quoquam, quavis auctoritate scien- ter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.18. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Bononiensi, & Episcopo Ariminen., & dilecto filio Curie causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus Motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præfentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacia defensionis præsidio assistentes, faciant au- thoritate nostra easdem præfentes literas, & in eis contenta hujusmodi firmiter obser- vari, ac vos illis omnibus pacifice frui, & gaudere, non permittentes vos per quos- cumque quavis auctoritate fungentes contra præsentium earundem tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel per- turbari; Contradictores quoslibet, & rebel- les per censuras, & poenas ecclesiasticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, ap- pellatione postposita, compefcendo, ac le- gitimis super his habendis servatis proces- sibus, censuras, & poenas ipsas etiam, iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.19. Non obstantibus præmissis, ac pie memorie Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranen. Concilii etiam novissime celebrati, & de certo Notario- rum numero, etiam si ad illum nondum devenit fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, ac de consensu præ- stando in pensionibus, & quibuscumque aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, vel imposterum edendis Cancellariæ Apost. regulis, ac stylo in similibus hætenus obser- vato, ac recolenda memorie Alexandri VI. tertiam partem bonorum ecclesiasticorum Cameræ præfata debere inter alia disponen- te, necnon ejusdem Bonifacii VIII. per quam concessiones, & fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur, necnon pia etiam me: Pii Pa- pe

Clausula sub- lata.

Exequutorum huius Condit. deputatio.

Derogatio contrarium

pæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis qualescumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in d. Camera infra certum tunc expressum tempus præsentandis, & regi- strandis, ita quod præfentes in eadem Ca- mera nullo unquam tempore registrare te- neamini, ac quorumvis aliorum Romano- rum Pontificum Prædecessorum Nostro- rum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Con- stitutionibus, & Ordinationibus, nec non legibus, etiam Imperialibus, & aliis muni- cipalibus, tam Urbis, quam aliarum Ci- vitatum, & locorum, in quibus Cives origi- narii creati existit, & quorumvis Eccle- siarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalium prædictorum, necnon quorum- vis Collegiorum, & Officiorum dictæ Cur- iæ, & Regnorum, Provincialium, & Ur- bis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ præfatorum juramento, confir- matione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, etiam si de illis servandis, & non impetrandis literis apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliis quomodolibet concessis utendo vos, per vos, vel Pro- curatores vestros præfiteritis forsitan hæte- nus, vel vos imposterum præfate contigerit juramentum, privilegii quoque, indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Mona- steriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorum- que Præfatis, seu Oratoribus, & Supe- rioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prio- ribus, Militibus, etiam Antianis, Capi- tulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis, illorum Communitati- bus, & Universitatibus, aliisque personis, & particularibus, ac etiam decimarum, pe- dagiorum, gabellarum, & onerum exa- ctoribus, & appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliorum Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curie Officialibus, illorumque Collegis sub qui- buscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogato- riis, aliisque efficacioribus, & insolitis clau- sulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices Præde- cessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum Statuti, & Constitutionis perpe- tuorum, ac Motu, & scientia similibus, deque apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Princi- pum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac aliis quomo- dolibet etiam iteratis vicibus concessis; etiam si in eis, ac statutis, & stabilimentis præ- fatis caveatur expresse, vel tacite, quod benefi- cia Urbis non nisi originariis Civibus Roma- nis, ac Civium eorumdem filii conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, seu

Nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expresse qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illarum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsitan ad certum valorem ascendentia possederint, ipsique Exactores, & Appaltatores decimas, peda- gia, & onera hujusmodi, etiam ab exem- ptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant; Quodque Præceptoribus, & aliis beneficiis quæcumque dicti Hospitalis, tam ex ejus institutione, quam ex stabili- mentorum prædictorum dispositione pen- sionibus Clericis secularibus, & aliis perso- nis, etiam apostolica auctoritate reservan- dis gravari non possint; quodque stabilimen- tis, & privilegiis præfatis, etiam vigore implicitæ derogationis latissime extenden- da, etiam si per quascumque literas Apo- stolicas, & quavis etiam derogatoriis de- rogatorias, efficaciores, & insolitas clau- sulas derogari non possit, nec derogatum censetur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demum ad id Magistri, & Conventus prædictorum accedat assensus; sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & prædictis Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus, cum certis intervallis præfentatas intimata, & non alias, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic sient, etiam de simili consilio derogationes, seu apposi- ta clausula, quod illorum effectum fortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, non alias, & alio modo. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præ- sentibus pro expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hæc vice dumtaxat, in genere, & in specie, ac effectum præsentium sufficienter, & expresse deroga- mus, & derogatum esse decernimus: Quodque vos primam non feceritis in Ec- clesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, ceterisque contrariis quibus- cumque.

§.20. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem pro suis fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 22. Martii 1621. Pon- tificatus nostri Anno Primo.

Transumptio- rum fides.

Die die 22. Martii 1621. An. I.

Ex Reg. in
Secretis. Brevis

Decernitur in Ordine S. Antonii de Sancto Antonio Viennen. non admitti posse Novitios, nisi iuramentum praestiterint de servanda Reformatione, quam Abbas Generalis induxerit.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

EX in jancio Nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea sedulo intendimus, per quae Regulares sub suavi jugo Deo famulantes, in Regularium, & salutarium Institutuum observatione non modo conserventur, sed ad illa observanda modis congruis inducantur.

Decretum de quo in Rubricis

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus Abbas Generalis Ordinis Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen. Nobis nuper exponi fecit, ipse Reformationem in suo Ordine benedicente Domino introducere intendat: Nos laudabile ipsius moderni Abbatis propositum plurimum in Domino commendantes, ac quod reformationis introductio hujusmodi, sublatis quibuslibet obstaculis, felicem sortiatur effectum, providere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, eidem moderno, & pro tempore existenti dicti Ordinis Abbati Generali in virtute sanctae obedientiae, & sub excommunicationis pena apostolica auctoritate, tenore praesentium praecipimus, & mandamus, ne de cetero aliquos in religione hujusmodi novitios recipiat, seu jam receptos ad professionem admittat, nisi prius sic recipiendi, seu admittendi in manibus praedicti Abbatis se reformationem Regulae ejusdem Ordinis, quam, ut praefertur, idem Abbas Generalis introducere intendit, amplexuros, & sub ea viros juraverint, ita tamen, ut jam professi, nullo modo ad iuramentum hujusmodi cogantur, quodque de cetero in recipiendis Novitiis praedicti Ordinis, Constitutio fel. rec. Sixti V., & Decreta Clementis VIII. ac Pauli V. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum desuper edita omnino serventur.

Delegatio contrarium

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 22 Aprilis 1621. An. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Aprilis 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Universo Ordini Eremitarum Sancti Augustini etiam utriusque sexus indultum conceditur celebrandi Festum Sancti Thomae de Villanova cum Officio, & Missa.

Hunc Thomam BB. Albo adscripsit Paul. V. in Constit. CCCL. in supremo. fol. 273. ut supra.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuum rei memoriam.

ALIAS a fel. rec. Paulo Papa Quinto Praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentes, videlicet: In supremo &c.

§.1. Cum autem, sicut pro parte clamei d. Philippi Regis tunc in humanis agentis, ac Prioris Generalis, necnon Superiorum, & Fratrum, ac Deputatorum, Electorum, & Sindicorum praedictorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi pro eo, quem erga dictum Beatum Thomam gerunt respective, devotionis affectu, plurimum cupiant concessionem, & indulgentiam ad omnes utriusque sexus Religiosos ejusdem Ordinis ubique terrarum existentes per Nos, ut infra extendi.

§.2. Nos piis eorum votis in praemissis annuere, illosque amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis: de eorumdem Cardinalium consilio, quod ab omnibus utriusque sexus Religiosis ejusdem Ordinis ubique terrarum existentibus, Officium, & Missa de eodem Beato Thoma a Villanova, servata aliis in omnibus, & per omnia litterarum praedictarum forma, & tenore recitari, & celebrari respective libere similiter, & licite possit, & valeat, eadem auctoritate apostolica, tenore praesentium, etiam concedimus, & indulgemus.

§.3. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus Praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus similiter, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Maii 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Paul. V. edidit
Constit. circa
in Rubricis.

Hic Pontif. est
ampliat.

Contrariis derogat.

Transumptis credi jubet.

Dat. die 14. Maii 1621. An. I.

De

De Facultatibus S.R.E. Cardinalis Camerarii.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

ROMANUM decet Pontificem in his partes Pastoralis officii sui interponere, per quae ecclesiasticae personae, praesertim Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quos Sancta Sedes Apostolica Sacrae Purpuree decore alios antecellere voluit, quotiescumque ad aliquod officium exercendum deliguntur, speciali gratiarum, atque indultorum praerogativa, ut eo facilius, & felicius praerogari possint, benigna liberalitate praerogari decorentur.

Cardinalis Ludovicus Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius designatur.

§.1. Cum itaque Nos nuper nostri, & ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius officium, tunc per obitum bonae memoriae Petri Episcopi Sabinae, Cardinalis Aldobrandini nuncupati, vacans, dilecto filio nostro Ludovico tituli Sanctae Mariae Transpontinae Presbytero, Cardinali Ludovico nuncupati, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, per eum quoad viveret, tenendum, regendum, & administrandum concesserimus, & assignaverimus, illique totum, & integrum ejusdem officii pretium gratiose remisimus, & condonaverimus, ac illum in locum dicti Petri Episcopi Cardinalis quoad dictum officium, illiusque exercitium in omnibus, & per omnia substituerimus, & subrogaverimus, prout in nostris desuper expeditis litteris plenius continetur.

Causam inter Camerarium, & C. A. Clericos venientem Gregorius nonnullis cognoscendis committit.

§.2. Et licet ab aliis felicitis recordationis Urbanus VI., Bonifacius IX., Gregorius XII., Martinus V., & nonnulli alii Romani Pontifices Praedecessores nostri occurrentibus ejusdem Officii Camerariatus vacationibus, seu aliis ipsi Camerariis inter alia specialiter, & expresse facultatem, & auctoritatem cognoscendi omnes, & quascumque causas Camerales super rebus, & iuribus ad nostram Camera Apostolicam pertinentibus, ac aliis negotiis ipsam quoquo modo tangentibus concesserint; ipsosque Camerarios, qui pro tempore fuerunt, praedictam facultatem semper, & usque in praesentem diem habuisse, & exercuisse, illaque usos fuisse dignoscatur: nihilominus, ut ex quadam plurimum fide dignorum insinuatione accepimus, quandoque inter Camerarium ipsum, ac Clericos, & Praesidentes praedictae Camerae, nec non forsitan alias personas super dictarum causarum camerae cognitione nonnullae subortae fuerint controversiae, & forsitan aliae in futurum suboriri dubitentur: quas quidem controversias Nos e medio omnino tollere desiderantes, negotium hujusmodi dilectis filiis nostris Bartholomaeo Sancti Laurentii in Lucina Cassio, & Maffeo Sancti Honuphrii

Barberino, ac Aloysio Sancti Blasii de annulo titularum Capponio, nuncupati Presbyteris Cardinalibus per eos videndum, considerandum, & examinandum, & quid de eo sentirent Nobis referendum viva voce oraculo commisimus.

§.3. Qui quidem Cardinales visis videndis, ac consideratis considerandis, & vocatisque etiam, & pluries auditis Clericis, & Praesidentibus praedictis in voce, & in scriptis, nec non etiam habita plena informatione ab eisdem Camerae Notariis, tam modernis, quam antiquis, ac etiam visis eorumdem Notariorum attestationibus, & scripturis, veras pendencias, & cognitiones causarum hujusmodi concernentibus, Nobis retulerunt se reperisse, & judicasse, ac judicare, necdum congruum, & consonum, sed imo expeditum, & opportunum fuisse, & esse, quod praedictus Ludovicus Cardinalis modernus, & pro tempore existens dictae Romanae Ecclesiae Camerarius infra scriptis jurisdictionibus, & facultatibus gaudere debeat: ac ita per Nos declarandum, & statuendum esse censuerunt.

Qui ut infra, declarandum censuerunt.

§.4. Quamobrem Nos omnem controversiam praeccludere, ac dicti Ludovici Cardinalis, & ejus in dicto Camerariatus Officio successorum quieti, & tranquillitati consulere volentes, ac supradictae Urbani, Bonifacii, Gregorii, & Martini, & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum desuper editas Constitutiones, quarum omnium etiam veriores, & totos teneres, ac Dat. praesentibus haberi volumus pro expressis, harum serie confirmantes, & approbantes, ac illas innovantes, Motu proprio, non ad ejusdem Ludovici Cardinalis, seu alterius pro eo Nobis desuper oblatam petitionis instantiam, sed ex nostra mera deliberatione, ac de apostolica potestatis plenitudine decernimus, & declaramus omnes, & singulas causas Camerales hujusmodi, & ab eis quomodolibet dependentes cumulative cognoscendi facultatem praedicto Ludovico Cardinali moderno, & pro tempore existenti Camerario competere debere, nec illum ullo unquam tempore desuper a quoquam cujuscumque qualitates, status, gradus, ordinis, conditionis, auctoritatis, praerogativae, & praesentiae fuerit, seu etiam ab ipsis Camerae Clericis Praesidentibus, vel aliis personis Camerae molestari, perturbari, aut inquietari posse.

Facultas Cumulative inter Camerarium, Theaurarium, ac Clericos, & Praesidentes Camerae quoad cognitionem Causarum Camerae, & ab eis dependens.

§.5. Et insuper eundem Ludovicum Cardinalem amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ei, & pro tempore existenti Camerario hujusmodi, ut ultra jurisdictiones, & facultates in concessione Officii Camerariatus hujusmodi sibi concessas, etiam omnibus infra scriptis facultatibus, indultis, & gratiis uti, frui, & gaudere libere, & licite possit, auctoritate apostolica praedicta, tenore praesentium concedimus, & indulgemus; videlicet, quod dictus Ludovicus Cardinalis modernus, & pro tempore existens Camerarius Officii Camerariatus hujusmodi ratione Camerae pra-

Praesidentibus tanquam capite omnibus Congreg. Camerae

tantum nihil omnino solvatur, & pro extractione animalium solvatur, ut in reformatione dicti Pauli Prædecessoris nostri dispositum est.

§. 21. Quo vero ad alia Loca ultra prædicta Præfecto, & Præsidenti concessa, circa frumenta, bladas, & legumina, ac oleum, & aliud genus Grassiæ, ipse solus Camerarius provideat, ut supra, & licentias opportunas, prout sibi videbitur, etiam a Locis immediate prædictæ Sedi subjectis ad loca mediate subjecta concedere possit, non obstante Constitutione dicti Pauli prædecessoris, & excommunicatione, aliisque pœnis in ea appositis, pro quibus licentiis solvatur pro sigillo, ut supra dictum est de tractis frumentorum, & olei respective: licentias quoque frumenta, & bladas, ultra ulum accipiendi in solum, ac olivas emendi, ad effectum infra breve tempus oleum, & frumenta, ac bladas prædictas ad Urbem conducendi sub cautionibus ejus arbitrio concedat.

§. 22. Ab indultis tamen, quod quis soluta rata non teneatur pro aliis, nisi ad favorem conducentium Grassiam ad Urbem, ac in casibus aliis permixtis, abstineat.

§. 23. Necnon permanendi Ægyptios, Cingaros nuncupatos, in prædicto Statu Ecclesiastico, & alterandi pœnas statutarias ad favorem certarum personarum, & generaliter ab indultis, & dispensationibus contra constitutiones apostolicas prædictas abstineat. Licentias vendendi stabula Universitatibus, & accipiendi pecunias ad censum ex rationabili, & legitima causa, nempe Annona procuranda, & conservanda, ac se liberandi a majoribus, & excessivis interforis, vel alia simili necessitatis causa, ac indulta faciendi nundinas, & mercatum ejus arbitrio, etiam concedat. Patentes, licentias, & privilegia emendi, & vendendi, tam in Platea Agonis, quam in foro Boario, aut alio quocumque loco Urbis contra bannimenta, & solutum, nisi ex justa, & rationabili causa, non concedat.

§. 24. Pro mandatis de exarcerando a carcerum Præsidente emanandis vigore decreti visitæ, nihil pro sigillo solvatur; pro mandatis ratione Grassiæ, & Annone pro summa, in qua non intrat captura personæ, pro sigillo non solvatur nisi Julius unus; ubi vero intrat captura personæ, usque ad summam viginti quinque scutorum solvantur bonononi viginti septem cum dimidio, & ab inde supra servetur taxa Auditoris Camerae.

§. 25. Commissarios, & Officiales, tam in Urbe, quam in aliis Civitatibus, Terris, & Locis prædicto Statui nostro Ecclesiastico, mediate, & immediate subjectis pro faciliiori regimine, gubernio, & administratione dicti Officii Camerariatus, & rerum illud concernentium arbitrio suo toties, quoties opus fuerit, deputet.

§. 26. Officium Commissarii mandatoris plateæ Agonis nuncupatum habeat emolumenta omnia tempore recolendæ memoriæ Clementis VIII., & dicti Pauli V. Romanorum Pontificum ante Annum Domini millesimum sexcentisimum decimum septimum exigi solita, & consuetæ, tam ab habentibus locum certum in dicta platea die mercati, quam ab adventitiis, venalia deferentibus, & in eadem platea quibusvis in locis existentibus, & vendentibus etiam, ante domos, & Ecclesias in ea existentes, & super mattonatibus earumdem, incipiendo a muris ipsarum Domorum, & Ecclesiarum, vel certum salarium quolibet mense, quod exigitur prævia taxa per dictum Ludovicum Cardinalem, & pro tempore existentem Camerarium prædictum faciendæ, & exigendæ ab omnibus, qui in dicta platea res venales in dies deferunt, & retinent.

§. 27. Similiter Commissarium Ripetta cum facultatibus opportunis, ac emolumentis solitis, ac aliis ejus arbitrio statuendis deputare possit.

§. 28. Et insuper ipse Ludovicus Cardinalis, & pro tempore existens Camerarius possit in Causis criminalibus quoquo modo dependentibus a suo Tribunali, & ad illud quomodolibet spectantibus, unam Personam capacem sibi beneficam juxta casum contingentiam, prout ante reformationem dicti Pauli Prædecessoris fieri consueverat, etiam deputare possit.

§. 29. Et quoad Civilia pariter habeat proprium Tribunal juxta solitum cum uno Auditore, seu Locumtenente ad ejus nutum amovibili, cum salario ejus arbitrio statuendo, qui omnes, & singulas Causas, in quibus tam activè, quam passivè, & sive primario, sive secundario quomodolibet agi contigerit de interesse Camerae, tam occasione appaltuum, bonorum, & Jurium Cameralium, quam Gabellarum, Doganarum, exactionum, Jurisdictionum, Feudorum, concessionum, Regaliorum, bonorum naufragatorum, Decimarum, & aliorum quorumcumque Jurium, necnon Annone, Grassiæ, Viarum, Aquarum, Fontium, Platearum, Aqueductuum, adificiorum, Riparum, Zeccarum, Archiviorum, & recursuum a gravaminibus inferendis a Conservatoribus Camerae, Urbis, & aliis Officialibus Capitoli, Artificibus, Tavernariis, Lanis, Salfamentariis, Mercatoribus, & aliis Personis, tam vigore particularium sententiarum, seu decretorum, quam vigore generalium dispositionum, etiam per viam Bannimentorum editorum, necnon causas discussionum Mercatorum, seu aliarum Personarum, cum quibus Camera negotia, vel interesse quomodolibet etiam insimul cum aliis habuerit, nec non similiter Causas appellationum, sive recursuum a sententiis, seu decretis Magistrorum viarum, & eorum Assessoris in ordinariis causis ad eos spectantibus vigore Statuti Urbis de Officio Magistrorum Viarum Lib. 3. cap. 29. recipere, & recognoscere possit.

§. 30. In quibus causis soli Notarii Camerae scribere possint; necnon etiam causas tam motas, quam movendas Communitatum, & Universitatum, Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum mediate, & im-

Alium Ripettae.

Item personam in Causis Criminalibus dependens a suo Tribunali.

Item in causis Civilibus utitur Auditori ad nutum amovibilem.

In his causis soli Notarii Camerae scribere possunt.

Quoad extractiones prædictas aliorum locorum non comprehensorum in locis concessis Præfecto Annone & Grassiæ Prædicti, spectet facultas Eminentiissimo Camerario.

Soluta rata nemo teneatur pro aliis.

Alia facultas.

Emolumenta pro sigillo Camerarii in expeditionibus.

Facultas deputandi Commissarios, & Officiales in statu Ecclesiastico pro regimine Officii Camerariatus.

Commissarium mandatorum plateæ Agonis cum emolumentis, &c.

mediate Sedi apostolicæ prædictæ subditorum, causâ, & occasione confinium, Territoriorum, Jurisdictionum, Collestarum, Gabellarum, exemptionum, Fluminum decursum, & derivatorum, aquarum, juris pascendi, lignandi, collestandi, venandi, piscandi, molendi, & similibus, sive Camera apostolica in eis, aut aliqua ipsarum faciat partem, vel non, causâ ipsâ inter ipsas Communitates, sive inter ipsas, & earum Dominos in temporalibus, vel inter alias particulares Personas, Communia, & Collegia motæ sint, vel eas moveri contingat, cognoscere possit.

§. 31. Et semper causâ istâ, vel similes, & aliæ quovis modo comprehensæ in aliis literis facultatum Camerarii pro tempore concessis, quas in omnibus, & per omnia, quatenus presentibus non contrariantur, harum serie confirmamus, & innovamus, sint, & esse debeant sub jurisdictione, & superioritate ejusdem Ludovici Cardinalis, & pro tempore existentis Camerarii, ipseque in eis procedere possit, tam vigore presentium, quam aliarum quarumcumque facultatum per quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros aliis Camerariis concessarum.

§. 32. Substitutiones pignorum existentium penes Hebreos Bancherios, sicut in Monte Pietatis, in quo residuum pretii deponi consuevit, vel in domo Notarii cum decreto tamen ejusdem Ludovici Cardinalis, & pro tempore existentis Camerarii, sive ejus Auditoris per acta ejus Notarii gratis: & in causis furti pignorum dictorum Bancheriorum, ipse solus privative quoad omnes alios procedat, non obstante reformatione prædicta: Bannimenta, Edicta, & proclamata, ac alias quascumque expeditiones Camerales super Annona, Grassiæ, & aliis prædictis omnibus, ac singulis facere, & publicare possit; Et siquæ a Præsidentibus, & Clericis subscribantur in locis comprehensis tantum in eorum Jurisdictione, ut supra, sub nomine, & sigillo dicti Ludovici Cardinalis, & pro tempore existentis Camerarii, & cum illius participatione fieri debeant: necnon pœnæ in eisdem bannimentis infligendæ ejus, & Præsidentium, qui illa subscripserint, arbitrio cumulative apponantur, & in casu contraventionis, & executionis illarum inter Camerarium, & Præsidentes prædictos præventio locum habeat, & bannimenta ultra loca in jurisdictione Præsidentium constituta emananda per eundem Ludovicum Cardinalem, & pro tempore existentem Camerarium solum fiant, & subscribantur. Similiter Edicta super novis locationibus, seu ut dicitur Appaltis, scilicet Doganarum, Thesauriarum, Gabellarum, & aliorum quorumcumque bonorum, & Jurium dictæ Camerae apostolicæ, per eum fiant. Et capitula desuper consocienda per Thesaurarium coram Camerario prædicto, seu in plena Camera, & non aliis firmentur; Tabellæ Communitatum prædicti Status nostri Ec-

clesiastici per prædictum Camerarium subscribantur, & observari mandentur. Ipseque Camerarius ordinationes, & Decreta per Congregationes super viis, aquis, & Flumine Tyberis, & demolitionibus domorum pro ampliandis, ædificandis, seu dirigendis viis, & Plateis Urbis faciendæ debita executioni demandari faciat, & exequatur. Et si casus evertit, quod aliquis ex Officialibus Populi Romani dicta Sede apostolica vacante moriatur, vel nolit, aut non valeat deservire, seu munus suum obire, ipse auctoritate ejus officii alium ex Bullula extrahere possit; Concessionem situum, & locorum publicorum in Urbe, & Aquarum Virginis, & Felicis fiant per Literas Patentes dicti Ludovici Cardinalis, & pro tempore existentis Camerarii; Notarii Camerae Apostolicæ, & alii Officiales, & Ministri Camerales in omnibus eorum causis, tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis sint, & esse intelligantur subiecti Jurisdictioni dicti Ludovici Cardinalis, & pro tempore existentis Camerarii, etiam privative quoad alios omnes Judices cum facultate inhibendi, etiam sub censuris, & avocandi. Scripturarum omnium, & singularum, quæ in Archivio ejusdem Camerae Apostolicæ aservantur tam in constructo apud Bibliothecam Vaticanam, quam in alio inferiori, ubi regestra Bullarum, & alia Scriptura, & libri Camerales custodiuntur, & reponuntur in dies, dictum Ludovicum Cardinalem, & pro tempore existentem Camerarium Protectorem, & Superintendentem harum serie facimus, & deputamus, Dantes eidem Ludovico Cardinali, & pro tempore existentis camerario dicti Archivi curam, gubernium, & administrationem cum facultate Sumpta, & transumpta ex dictis regestris, ut hætenus consuetum extitit, in autenticam formam quibuscumque Personis ad eum recurrentibus, & sibi beneficiis concedendi; Scripturas camerales, tam per Notarios Camerae, quam alias quascumque Personas indebite detentas, seu detinendas ad ipsum Archivium deserti faciendi, & mandandi, ac illos ad id per Juris, & facti remedia opportuna cogendi, & compellendi: liberumque accessum ad ipsum Archivium Notario, Custodi, ac aliis Personis sibi beneficiis patere faciendi, & discernendi, dummodo copia, sumpta, ac transumpta materiarum interesse Camerae prædictæ concernentium, non dentur sine participatione, & mandato suo, & pro tempore existentis Camerarii. Volumus autem, & decernimus, quod ipse in omnibus Momentibus, tam Camerae prædictæ, quam Communitatum, & aliorum particularium, in quibus ejusdem R.E. Camerarius Protector datus existit, ipse protectorem hujusmodi in eisdem omnibus habere, & exercere possit; Dantes sibi facultatem, & auctoritatem omnes, & singulas causas ab eisdem dependentes privative quoad omnes alios cognoscendi, & terminandi, necnon Officiales quoscumque necessarios, & opportunos toties, quoties opus fuerit, deputandi, & in il-

Hujusmodi Cause semper spectent ad eum Tribunal.

Aliarum facultatem concessi.